SONUS
VOCALIS CAMPANÆ
A
Principe Petra & ſepulchrali ſaxo
REPERCVSSVS.
Immortalem Meritorum & Sapientiæ famam
REVERENDISSIMI olim PATRIS
ANTONINI CLOCHE,
SACRÆ Theologiæ PROFESSORIS,
Univerſi Prædicatorum Ordinis
GENERALIS MAGISTRI·
PROMVLGANS.
& dum.
PIIS EIVSDEM MANIBVS
Debitus Exequiarum Actus
A
Mæſtiſſimo & Devinctiſſimo P. P. ORDINIS PRÆDICATORVM Conventu Cracovienſi ad Ædes SS. TRINITATIS
In magno Condolentium Hoſpitum Concurſu
perſolveretur:
Philadelphico Corde
Per
M. ÆGIDIUM STEPHANUM WADOWSKI,
Philoſophiæ Doctorem, Scholæ Dialectices Profeſſorem, Collegam Minorem Vocatum, Contubernij Geloniani Seniorem.
CONCITATUS.
Annô quô
Mors DeCepta taCet, paX Verbo eſt Vera ſonante.
Die verô quô
FragrantI terræ ferIa IVnII erat.

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.


REVERENDISSIMVS P. F. ANTONINVS. CLOCHE ORD. PRÆD. GNLIS MAGISTER
Henricus Czech
sc. Cracoviæ
Si vis Spectator, quæ sit, quam cernis Imago,
Virtutis: tales hic fovet Ordo Viros
En Campana sonat sub Imagine Patris avita,
Dat signum Cunctis, ut veneremur Eum.

Admodum Reverendo ac Eximio Patri S. Th: Magistro

P. CYPRIANO SAPECKI,

PRIORI Conventûs Cracovien: SSMÆ TRINITATIS, VICARIO Provincialis Contratæ Minoris Poloniæ Ordinis Prædicatorum.

ADMODUM REVERENDIS & EXIMIIS PATRIBUS S. Th: MAGISTRIS, REVERENDIS ADMODUM PATRIBUS S. Th: Præsentatis. REVERENDIS PATRIBUS. S. Th: LECTORIBUS, cæteræq; INCLYTISSIMÆ COMMUNITATI.

Amplissimi ejusdem Conventûs Cracoviensis.

Patronis Colendissimis.

A*Tro inumbratam colore, Magni olim Vestrûm Generalis Imaginem gentilitiâ Ipsius, resonante Campanâ, ad Aram Cordis Vestri, venerabundus impono, vel potiùs in cordibus appendo.* Admodùm Reverendi & Eximij Patres *Peccare certè contra Divinũ Æternæ Veritatis viderer effatum, quæ olim porrectam sibi Cæsaris imaginem, Cæsari reddendam decrevit tantôq; decretô, etiam hanc Vobis, utpotè Vestrûm Præsidis offerendam iniunxit. Quanquam nec Vobis hæc porrigi debet, ut*

potè cùm vivam in Vobis exprimatis, cùm defuncti lineamenta, Virtutibûs magnîsq; operibûs ex asse depingatis. Habetis sat innumerum Imaginum syllabum, habetis tot sacratas Aboriginum Vestrorum Statuas, quibus bajulam onerastis terram, Religiosos adornastis Parietes, Cælos ipsos adimplestis, etiam hæc ijsdem appendi debet. Os de ossibus Generalissimorum Patrū Vestrorum ANTONINUS, *in hoc majestuosissimo* TRIADIS SSmæ, *templo, in eburneum Ejusdem abeat thronum, ad cultum illius suâ Campanâ fidelem Christiadum convocet turbam, vocaliter sonando. In pervetustis Majorum suorum atrys, per fasces numerabat Avos, vetus Romanorū Antiquitas; in hac Religiosissima Vestrûm Domo, per Sanctorum Imagines, calculari debent Patres, imò quotquot gressus in Amplissimo Vestrûm Cænobio formantur, tot Sanctorum Corpora calcari constat. Sanè Domus hæc Vestra, Angelorum Colonia, Cælitum Chorus, Cæli Suburbium, Virtutum Habitaculum, Sapientiæ Regia dici meretur, cui Summus Regni Sarmatici Præses,* LESCO *niger, atrîs Cognominis umbrîs, & liberalitate aureâ, prima lineamenta dedit, sicq; delineata Caput magnis cogitationibus plenum, pro fundamento sepulchralibûs cineribûs deposuit, cùm Domum Vestram Sanctorum, Doctorum, & Patrum Maximorum forè Capitolium præscivit. Nec suam nigredinem bellicis contractam pulveribûs meliùs eminere ratus, quàm ad Religiosissimum Ordinis Vestri Candorem. Addidit album votorum calculum nigro huic* LESCONI *nivea tyarati Vavelli Gemma, Sanctitatis Apex, Cracoviensium Sacrum Præsulum Decus,* IVO EPISCOPUS, *qui pariter plurima Ordini Vestrûm Sacratissimo inferens beneficia, seipsum intulit, cum* ODROWAZIA *suâ Sagittâ in Vestrûm pectoribûs hæsit, ibi pijssimis Cineribus Sepulchrum elegit, ubi non sepulchrali lapide, sed pretioso Hyacintho suo Nepote, eosdem claudi & consignari speravit. Erectam magno sumptu Basilicā, immensæ* TRINITATI *dicavit, ut ex tanto titulo etiam Vestrū ab omnibus nosceretur perfectio, magnitudinis Vestræ pateret immensitas: quæ se eam adusq; demonstrat, ut totum fermè pridem in Vobis adimplere Orbem videatur. Quippe nullus Sarmatici Campi locus, quem Gentilitius Vestrûm Catulus non percurrisset. Nullus terrarum Angulus, quem suo funali non irradiasset, quem lumine fidei non illustrasset, prædam Ecclesiæ, fidei, Religioni, in lucrandis Animabus attrahendo. Per-*

curri-

curristis tot Gentes immanitate barbaras, quibûs, Divinitatem quâdam instillastis in HYACINTHIS, CESLAIS, FLORIANIS, BENEDICTIS, GODINIS, & alijs innumeris Poloniarum Apostolis, Vestro Candore sarmaticam dealbando Aquilam, Vestræ sapientiæ lacte in cunis Poloniæ vagientem fidem nutriendo, sterilem Poloniæ glebam, Marianîs implantando rosîs, tot. S. S. Martyrum exornando palmis. Tyarato Vavello Coronarum ternioni, unicam Gemmam HYACINTHUM extraxistis, ast Vnionem hunc innumeris cum fœnore rependistis Capitibus, pretiosissimis solvistis ingenijs: ex hoc Conventu Purpuratos Antistites, Infulatos Suffraganeos, in BERENGARIIS, in MARIANIS, in PAULIS, in MALACHOVIIS subministrando. Loqvuntur etiam aliæ Vestrûm magnitudinem Infulæ, & aperto quasi ore ad Cælum hiantes eandem attestantur. Benedicunt Vobis, imò Vos optimos possessores sui designant, Sacratæ Archipræsulum Cruces, quibûs Vos eminentes, purpuram sangvinis explicare pro fide non passionem esse duxistis. Ipsa suprema Ecclesiæ Capita, plurimos ad mentem suam habuêre ex Vestrûm syltabo Viros, iam eosdem suos Pænitentiarios, iam Censores fidei, jam Hæreticæ pravitatis Inquisitores delegando: ut sciret Orbis etiam secreta Conscientiæ summorũ Pontificũ, sub Vestris Hortensiorum Polonorum rosis latere posse, & nullius mentis acumine Hæreticos meliùs pungi, quàm Doctissimorũ Capitum Amplissimi Vestrûm Cænobij. Pro alijs mille vel solum innuisse MELCHIOREM MOSTICENSEM S. Th: Magistrum, sanctitatis idæam, fulmen Hæreseos, satis esto: qui STANISLAUM Antistitem inter Sanctos, stare effecit & procuravit, quem à Rege Poloniarum missum Legatũ GREGORIVS XIII. solenniter Hospitẽ magnũ excepit, cũ ordinato sibi assistentiũ cætu, in Vrbẽ duxit, Caput Ecclesiæ agens, cor suum dedit, Reducem tandem tota Metropolis Cracovia salutavit, & cum magno populi occurrentis agmine in portas traxit. Nec immeritò, meruerat ejusmodi plausus & affectus MELCHIOR, utpotè quô nullus illô seculô visus melior, nec audentior, utpotè qui Doctorali præcinctus laurô, etiam fulmina Regis non timuit, inæstimabilia Ecclesiæ obtulit munera, cum eandem Zelator munivit: omnibus affabilis, ipsis nonnisi Hæreticis amarus, quibus Myrrham non ad gustum porrexit. Apostolicũ admiramini ausum? SIGISMVNDO AVGVSTO blasphemiarum & errorum schedas approbare volenti, pen-

pennam eripuit, potiùs è vivis pennâ hac proſcribi mallens, quàm ut tantum in regnum involaſſet nefas. Videat Orbis quanta Prædicatorum Capita poſſunt, ſi manus tanta audent! quantus Zeli ipſorum ardor, cujus flammas, etiam Regij illuminantur ſplendores, quanta ipſorum Authoritas, ſi ijſdem calamos negant, quibus ſceptra aurea conceſſa, ne illorum acumine fidei vulnera inferantur. Quid de ſapientia Domui huic Veſtræ inquilina proferam? plures certè ex ſacrati Apollinis Veſtri Pegaso prodiêre Doctores, quàm armati ex Trojano Equo Heroes. Nullibi meliùs Aquinatici Doctoris Veſtri diſtingvuntur Articuli quàm in amplisſimo hoc Veſtrûm Cœnobio, doctis Capitibûs. Nullibi THOMAS magis abyſſalis apparet, quàm à Veſtrorum ſenſuum profunditate. Quorum Numerum Orbi explicare, idem labor eſt, ac ſummam Angelici Doctoris *appretiare. Ex ungve noſcuntur Leones, ex Doctoralibûs Veſtrûm pennis, quibûs millena exaraſtis volumina;* ANGELVS THOMAS *optimè cognoſcitur. Abſit tamen Doctorũ Veſtrorũ Capita mihi excitare, abſit eoſdem è ſepulchris ad funus iſtud educere, quieſcant publicis fatigata laboribûs, Vos nonniſi ſuperſtites, minùs vivaci calamò veneror, Magna Conventûs iſtius Numina & Patriæ Patres. Inter quos Tuum dolens penna honorem primò attingit.* Admodùm Reverende & Eximie Pater S. Th: Magiſter. P. THOMA ENGVER Polonæ Provinciæ Meritiſſime Provincialis, *Generalis Magiſtri preſſa meritîs, in te Abyſſum venerabunda cadit, etiam Tuam Magnitudinem ejuſmodi caſu adorans, & cùm Te Conventûs hujus Ampliſſimi Doctorem ſciat, ſe ſe Doctori ſubmittit. Irrigaſti ſcholaſticam Arenam, ex qua non laurus ipſa Tuo Nomini pullulavit, ſed etiam Clavus Provincialis honoris excrevit, quem ad omnium ſtuporem & commodum geris, ſpeciem dignam Imperij retinens, ingeniô tuô nil ſpecioſiùs, habere obſervaris, liliatô ſeniô candidos Religioni efficis dies, verè* THOMAS *non ſine torque amorum, quibus ſtringeris; non ſine Phœbo ſapientiæ radiando. In Tui tandem nominis collimat venerationem penna, quem vel in ipſo exordio pro meta poſuit* Admodùm Reverende Pater S. Th: Magiſter P. CYPRIANE SAPECKI, Conventûs Crac: Digniſſime Prior &c. *qui ne ferales mortis ſummus Generalis experiatur Cupreſſos, Tuo Nomine Eundem coronas, funebrali pompa illuſtras. Arborem Cypriſſi Tuum Nomen ſapit, illam certè, in qua omnium virtutũ ſpecies & genera ordinata Dialecticus legere poſſum; vel ſi à Cypro*

Cypri-

CYPRIANUS dicaris crede Insulã agis, ad quã per Aqvinatica flumina innumera confluxêre sapientiæ decora. Mirantur Tuæ mentis acumina sublimes Cracilidum Turres, vigil ad portam Aquila, Tuo Præconis calamo, suis applaudit pennis, Sarmaticarum Urbium Caput Cracovia, Tuum adorat Verticem, Sacri Exedrarum suggestus, in Te redivivos experiuntur Tullios, Apostolicos agnoscunt Præcones, universi æstimant, venerantur: adeò ut quoties futurum pro Sanctis, sperànt Te; Præconẽ tubîs, quibûs convocentur non egent, voce Tua suavissima, quam veluti Tuba axaltas, contenti. Ita sanè populo placere non cessas, ut etiam summis non displiceas Principibus, quorum pectora possedisti. ab iisdem Religioni Tuæ favores pertrahendo, Tui venerationem extorquendo. Reflorescit in Tuas pariter laudes, quantumvis gelida timore leti facundia, Admodũ Reverende & Eximie Pater S. Th: Magister P. FLORIANE STRASZYNSKI, Polonæ & Lithvanæ Provinciarũ Primarie & Meritissime Pater, *quantumvis Magnitudine meritorum Tuorum, virtutum excellentiâ, ut potè minùs culta terreatur, quantumvis Tripodem altorum sensuum, Idæam sapientiæ, Religiosũ Numen & Oraculũ Tu agens, illam in stuporẽ rapias. Sequi te, suâ pennâ debuit, cum Te ex Cracij Conventûs nido evolasse Doctorem non ignorat; Evolasti inquam ad sũmam Provinciæ sedem, bis Provincialis factus, pluries petitus, nisi humilitas Tua eligentium votis contraria esset, Alcidem ipsum superasse videris, ut potè cum ne Hercules contra duos, Tu unus plurimis suffecisti laboribus. Vigent adusq; nostrûm memoriæ Tui eloqvij flores, quibûs coronatam in Circulo Cracoviensi Virginem ordinarius Præco stipasti, nec vitiosum se adusq; circulus fatetur, a Tuæ probitatis centro, rectas lineas ducere edoctus. Amaros funeris istius dolores, etiam Tu nomine Tuo melleo adaptas Adm* R. P. S. Th: M. P. AMBROSI ZAGAIOWSKI, Conventûs Gidlensis Prior Æstimatissime, *qui non ibi tantùmmodò ad miraculosũ locũ illum, sed etiã ubiq; prodigiũ ingeniorũ dici & videri mereris. Cui in hoc Conventu Amplissimo Scholastici labores ludi erant salsi sudores, suavissimi putabantur. Ab ore Tuo Amplissimo Ordo flumina eloqvij manare, ab oculis gratias promicare, à vultu virtutem stillare observat, non minùs Majestatem, quàm affabilitatem Patris in Te venerando. Ambrosiano ori apes mel instillasse dicuntur; Tu ab apibus quantumvis nihil habes, favos tamen mellifluos omnibus propinas, ex quibus eruditorum participant agmina, non absq; Ceris Cleanteis,*

anteis. Et Te prospicit lachrymis innatans mærentis Oratoris pupilla, quas ad Te referri juremeritò censet Admodùm Reverende P. S. Th: Magister SEVERINE OCZKO, *paginam, hanc etiam Tuo Nomini devotam despicere non potes, quæ ultrò se se objicit. Specularis Thomisticum Phæbum perspicacissimus Ocellus, etiam umbras Tuas, quæ splendores meritorum Magni Generalis tegunt, intueri non dedignare. SEVERINVM quidē Nomine portas, omnibus tamen Te affabilem, jucundum exhibes, contra Te ipsum non nisi severus esse appares: Atlanteos Tuos lacertos, altis laboribûs & bono communi fatigando. Sed quis Magnorum Oratorum numerus, Vestrûm complecti poterit elogia, quæ penna Vestram attinget sublimitatem, implestis Nominibus Vestris sæculorum Annales, hâc tenui non potestis capi pagellâ. Quisquis profundum elogiorum Vestrorum Mare, exigui labij haurire attentaret foveâ, Augustini certè revocaret tempora, Magni Patriarchæ Filij estis, ad cujus frontem & mentem nonnisi Cæli sidera, sunt, quare exigua facundiæ lumina, nec Vobis placere possunt Et si Phæbus tantus, vix unius Thomæ cōtexit pectus, quis dicendi ornatus, aut quis verborum apparatus, Vobis pluribûs sufficiet. Aureo Angelici Doctoris torque, Vestrûm nonnisi connecti merita possunt: Schynotenicis Oratorum periodis ambiri nequeunt. Imò vel ideò Astrorum Princeps Phæbus ad pectus* THOMÆ *descendit, ut Prædicatorū Ordinis Capita supra sidera esse demonstraret, sicq; dum alij vix mente sidera tangunt, illi infra se eadem posita gloriantur. Quare nonnisi Imaginem Generalissimi Vestrûm Præsidis Vobis dare & offerre justissimè duxi, cùm dictionis meæ nullam agnoscam speciem, nullam in verbis & sensibus formositatem. Verba dicentis perpendere absit, sed vocalis Campanæ sonum attentiores percipite, quàm si philadelphico corde minùs pulsavi, Vos Vestris compensate. Non condignè quidem, tam Meritissimi in Ordine Vestrûm* PATRIS *adnotavi elogia. Vos notas quas incurri dolentibus delete lachrymis, ex illis solatia, feliciores successus trahite, ita sonat, ita precatur.*

Nominis Vestri.

Cultor & Servus.

ORATIO.

ABsit mirari AA. quòd in tam vocali loci istius suggestu, in tàm amplissima Vestrûm frequentia, sine voce, sine sono, admirabundus hæream. Quippe ex lachrymarum fontibus, ducendum exordium Oratori; ubi oppressor cordium dolor, tristem spectatori oculo propositionem statuit. Pallescit timore nimiô Academicus Candor; postquàm ad lugubrem ejusmodi Actus squallorem provocatur. Decrescunt tremuli, etiam Tulliorum flores, ubi ad acutam crudelis Libitinæ falcem applicantur; nec possunt Oratoria in filo duci argumenta; postquàm chalybeato atrocium Parcarum telô, ductilia per annorum seriem, vitæ stamina præscinduntur. Periculosæ plenum opus aleæ, pessima inter lusus elogiares speranda sortilegia; ubi arida ossa, peroraturis pro objecto exponuntur. Vtquid hìc venustus verborum & dictionum apparatus? quid juvat facundi oris ornatus? ubi nonnisi lugubria funerum velamina requiruntur. Sanè, quis hìc securus in dicendo Orator? inter tot dentatos, qui Aris & feretro in imaginibus mortis adstant Zoilos. Dura certè apud Rhetores Metaphora; quæ ex sepulchrali desumitur & transfertur lapide. Non vivaces Elogiastarum spiritus, inter condensata cadaverum agmina; fumigant magìs, quàm splendent figurati verborum splendores, à funeris Ceris derivati, mutusq; non facundus ille censendus Mercurius, qui letiferi pegmatis ligno effor-

matùr. Indignatur credite animorum Regina Eloquentia, ubi contra practicatam Regio Nomini auctoritatem, non in throno sed in sarcophago collocatur. Quæ rerum & temporum scena! Religiosissimus Prædicatorum Ordo, vocales per sacras exedras Oratores, lachrymarum hodie affluunt fontibus! itane Angelica Thomistarum Schola, non pectoralem tantùm sui Præsidis solem sed & tristem advesperascentis vitæ Phosphorum experitur? Itane inter eruditos Aquinaticæ doctrinæ articulos, cadavera hominum condensantur. Itane sacer hic magnorum Patrum Ordo, in suo nativo Candore, atras fatorum agnoscit sortes? itane Princeps ferè Christiani Orbis Religio, ad cujus mentem literata sapientûm vivunt Lycæa, suum Caput amisit! itane vocalis hic Cygnorum cætus, Doctoralibûs implumatus calamîs, ad lachrymarum fontes, Cantator funeris ipse sui? itane Gentilitius Dominicanæ Religionis Catulus, non ad Domûs suæ splendorem, sed ad tristes exequias, ardens præfert funale? & nimis præcoci Canicularis aspectûs influxu, dignitariam sui Generalis sedem vacare facit? itane supremum Prædicatorum Genus, contra veteranam Porphirij seriem, ad radicem, vel potiùs ad sepulchrale solum, non ad arboris cacumen locari debet? itane siderea Dominici frons, ultimâ vitæ lineâ Magni Generalis corrugabitur? itane Rosarianis Cultoribus ferales mortis porrigi debent Cupressi? & nimis dolorosa accumulari Mysteria? itane in Junio, non juniorum tantùm, sed Maximorum primorumq; in Orbe Capitum peraguntur funeralia, & ubi verborum sonitus ab ore fundendus erat, ibi mugienti campanarum ære strepitus & fragor dolorum

exci-

excitantur. Sed absit inter pallidas mortes timore albescere AA. Opposita penes se posita, si magis elucescunt; Academicus Candor, inter umbras ejusmodi clarior apparebit. Arida adstantium Parcarum ossa, figuratos Oratorum non eludent lusus. Non cadit Elogiastarum animus, quantumvis ad sepulchralem lapidem impingat. Exequialem funeris pompam, umbratilis dictionis apparatus augebit, non diminuet. Ad actus funereos, etiam sine diserto labio acceptantur statuæ, absq; cerebro non arcentur Capita. Ardeat dictionum animus; non frigescat congelatum formidine pectus; postquam Philadelphicus Amor, de sepulchrali lapide, scintillas elicit, in triumphalem rogum & ignem abituras. Non ad ipsos vitæ plausus, Oratoriæ resonant voces, multò vocaliores apparent commodiùsq; audiuntur, dum profundum Libitina imponit silentium. Non sicca dicendi materies, inter arida Lachesèôs ossa, satis prolixa dictionum amplificatio desumi potest; quantumvis ex tricubitali urnæ domicilio. Itur facillimè in laudes Virorum, etiam per calvarias hominum, & quamvis verborum pondus eluctantes in altum premat Oratores; nulla tamen sub tanto pondere ijsdem passio. Pridem pridem Regulares Dominici dies, quos aliquando in sangvineo Matyrum rubro gemmeis & aureis characteribus scriptos legit Polonia; in lugubres Mortis ferias mutari non tenentur. Dilecti Mariæ cum Hyacintho Filij, gaudere potiùs, non diem iræ intonare debent. Terrestres Angeli hi, non moriuntur; ast post expedita in gentibus & nationibus obsequia, corpora exuunt, quibûs etiam induti, caruisse videbantur. Aquinatici Doctoris Di-

ſcipuli, cùm omnia ſciant, fata cognoſcere ignorant, imò pectorali armati Phæbô, veſpertilionem Lacheſim cæcutire faciunt, à ſuis luminibus & magnis ſplendoribus, hoc expupillatum Numen propulſant. Habet habet Thomiſtica Schola, ſcholaſticos pulveres, qui per Doctoris ſui Phæbum, athomorum attracti more, in fulmina, contra Encelados Fidei, cöáleſcunt; intra hos tamen, ſepulchrales non obſervantur cineres. Sub Gentilitio Sacræ hujus Religionis Sirio, otiari & vacare videtur, alibi ſummè operoſa Libitina, & nimis oſſea, accedere trepidat; ne vel lædatur vel domeſtico prælucente ſibi funali, ut pote cæca, ad feretrum & ſepulchrum ipſa reducatur. Sacerrimus cum ſuis Capitibus Prædicatorum Ordo, prædicari nonniſi meretur, atris fatis ſubijci nunquam debet; ipſô certè Dominicanorum ethymô ſervilia poſtponit vincula & æternantis canitiei ſibi attribuit ſæcula. Roſariani plantatores hi, fatîs palleſcere erubeſcunt, ſpinas & tribulos rident & continuò Orationis ardentes fervore ſepulchrali marmore frigeſcere non tenentur. E terris ad aſtra ire ſi negligerent, ſi ferri ad ſidera non curarent; certè practicato jam unius ſideris ad frontem Dominici deſcenſu, omnia venire ad ſe cogerent & à Cæleſtibus ſphæris provocarent. Tragicam tamen adhuc in loco hoc admiramini ſcenam! ſquallidas in ampliſſimis Religionis Candidæ laribus ſtupetis umbras, in Aquinaticæ Stoæ liminibus, forſitan aduſq; lachrymis non abſimiles ſupponitis fontes! acutiùs & attentiùs animos oculoſq; vibrate, lætiora inter ipſos dolores ſpectaturi. Nimirùm Sacerrimus hic Prædicatorum Ordo, Primum ſui Caput & Præſidem Reverendiſſimum

Pa-

Patrem ANTONINUM CLOCHE S. Theologiæ Professorem & Generalem Magistrum, dum ad Cælos miserit, magnitudinis illius umbram nonnisi Vobis, inter squallores istos demonstrare exambit; ut quis, quantusve fuerit, vel ex sola umbra cognoscatis. Breviori emphasi loquar: Orbis totius delicium, fidei præsidium, septicollis Urbis & suæ Religionis sublime decus Patrem hunc, vivum nobis præsentare non potuit, nunc vitam Libitina carpente, ex fructibus immortalium Ejusdem operum, cognoscendum statuit; quem si superstitem ad se evocasset, vel totam Romam cum eo hîc videretis. Duodenîs ferè annorum lustrîs sibi imperantem Præsidem, cum venerata fuerit, filialis amoris tædîs, multorum imò omnium affectuum flammîs, eundem illustrare tenebatur. Obsequium approbate AA. Decebat quidem; ut fortissimus Dominicanæ Religionis Atlas, sub operum & curarum mole fatîs langvescens, Regum & Principum (quibus cordi erat) jam stipatus malîs, etiam Sarmatici Campi floribûs fulciretur. Decebat, ut magnus hîc pro Religione & Fide Zelator, non ipsi polo, sed & Poloniæ, cum sua immortali fama inferretur. Quanquam eundem Poloniæ illatum dicere non est satis, qui toto Orbe inclaruerat vocalissimus. Decebat, ut ad magnanimum Viri hujus corpus, etiam Lechicæ convolarent Aquilæ, albo suarum pennarum acumine, inter tristes umbras sereniora notarent elogia, ut quiescenti post magnas cogitationes Prædicatorum Capiti ex niveis pectorum plumis molliora strueret cervicalia. Decebat inquam, ut cui Vaticanus Sacratior de Principe Petra gloriosum fe-

cit

cit ſepulcrum, huic etiam Tiaratus Vavellus integram ſui rupem in Mauſoleum non negaret; ut Eccleſiæ fidem ſervanti Patri, curſum gloriæ conſumanti, non una, ſed trina Craciæ Cathedræ imponeretur Corona. Decebat, ut Generali Magiſtro, Generalis Regni Poloniarum Schola, aureis ſuis applauderet Sceptrîs, vel potiùs ut ſub ſceptrifera Cruce, ſcientiarum Mater, hîc inter lachrymas ſtaret doloroſa. Decebat, ut fontes Aquinaticos, quos immenſo indies haurit alveô, dolentibûs de caſu tanti Capitis lachrymîs refunderet. Decebat, ut gentilitia Generalis Reverendiſſimi Campana, nuper ſepulchrali Libitinæ percuſſa ſaxô, nunc omnium pulſata cordibûs, etiam in ſublimi Turrium Craci ternione reſonaret. Factũ eſt quod dixi AA. factum ad mentem Tuam Religioſiſſime Prædicatorum Ordo, bono ordine mœrentis pectoris Tui ſuccedunt vota; in ſidereo ampliſſimæ Religionis Tuæ Cælo, ſquallidas mæroris condenſaſti nubes; ex omnium noſtrûm oculis, lachrymarum pluviæ & tempeſtates cadunt, ad funebralium cereorum fulgurationes, Periclea contra implacabilem Lacheſim Oratorũ detonabunt fulmina. De amiſſo Capite quærularis? omnes jam, ſine ſenſu lætitiæ nos adeſſe non dubites. Ad vacuam Vrnam hanc, mærentia pectora & noſtrûm viſcera ponimus; ut vel exinde plenitudo publici affectus, erga Te cognoſcatur. Jam nivea Sarmatica Aquila, niveis expanſîs alîs, triumphales excitat pyras; ut ex cineribus ſuis, Patrum Phænix, quem deploras, ad ſidera queat evolare. Perauguſtum Craciæ Sedis Capitulum, Tuo Capiti plaudendo, eidem ex ſe Capitolium facit; ut poté

dum

dum communi urnâ ambiri non possit, nec debeat, Cælesti sede dignissimus. Sceptrifera Parens Academia, Tuo parentat Patri, & ad Generalissimi Magistri exequias, suæ obligationis & Philadelphici affectus præcepta exequi studet condolendo. Craciæ Metropolis Turres, vocalis Campanæ Possessorem, dum Cælis illatum, suo vertice conijciant, Campanam nonnisi ipsam, sublimitati suæ attollunt, corda Civium alligant, obligantq; ut immortalis famæ ipsius sonus audiatur. Sed jam jam in omnem terram, istius sonus exivit Campanæ: Jam Navis Petri in ultimo vitæ Viri istius margine, per lachrymas fluctuabat; jam Purpurata Cardinalium Rota, præ dolore crepitare visa. Jam ad Principem Petram, cordium tot dati pulsus, toties tristis gemituum & dolorum resonavit Echo. Ipsa gentilitia Præsidis Generalissimi Campana, continuô laborum & magnorum operum motu agitata, quantùmvis quiescere videatur, adusq; tamen immortalis famæ exprimit exprimetq; sonum. Hic dum à sepulchrali Saxo repercussus, ad nostras pervenit oras, etiam mea, licèt soni organa non sint, occupavit ora, quô non nisi coram Vobis resonabunt; utpotè ex se minús vocalia. Vos tantummodò AA. mæstissimi, ut SONUS vocalis Campanæ hujus, meritorum famã promulgans clariùs audiatur; attentiores non negate aures; ac eundem benevoli pectoris pulsu, magìs ac magìs excitate favendo.

Vocalem immortalis famæ per auras & aures percipere sonitum, & cum magno admiratoris populi applausu, linguîs Oratorum portari, nullus est, qui non ambiat. Plurimi certè dimidias

Curiorũ ex ipſis pulveribus attollunt ſtatuas; non unus ære vetuſto fuſas, Avorũ Atavorumq; indigitat imagines, ut vel hac ab alijs & vulgi exceptione, vocalem excitet ſonantiã. Plurimi aureas Regum Coronas, Sceptra, faſces, & titulorũ inſignia inquirendo, honorariæ ædis pulſant oſtia; ut à dignitariõ ejuſmodi pulſu, per ſubditã populi turbam, uno minores Jove credantur, ab immortali fama, nunquã propulſentur. Alij ſplendentia Cræſi accumulant crepundia, aureîs variabilis fortunæ delectantur numiſmatîs, ut eorum tinnitu, clamoſi toto Orbe fortunæ pulli audiantur. Alij vocalia cruenti Gradivi intonant claſſica, ære cient viros, Martemq; accedunt cantu, congeſto armorum ſtrepitu, novam in Regnis & Imperijs excitant Vulcaniam: jam animoſa pectora, ſquammosîs cingunt thoracibus, jam generoſam frontem chalybeatîs integunt teſtis; ut inter prælia, plumbeâ perculſi procellâ, inter tormentaria fulgura & tonitrua immortalis famæ, non tam ridendam, quàm mugientem Echonem percipiant. Alij deniq; impotentes Creatores, vitreos efformari prætendunt Cælos, quibûs incluſi, vel Bacchos agant, vel tàm fragilis ſtructuræ fracturâ, & inanî pompâ, debilis famæ, in tanto fundamento, ſonum eliciant. Alij deniq; plumatas ætheris animas volucres, artificiosîs ipſi naturæ gravibûs inſtruunt linguîs; ut his inſtructæ, Deorum titulos & nomina ſuis magiſtris loquantur reſonando. Sed ah inanes mortalium conatus! ah crepitanti riſu miſcendos hos famæ ſonitus! quos dum perennaturâ fama edere prætendit, & flatum & animam amittit. Exiguus nimiùm, quantumvis ab æneis Majorum ſtatuis

clici-

eliciatur quantumvis à fractis Curiorum cruribus veniat sonitus; quem innatæ probitatis non auget claritudo, quem vitiorum fragor in malis impedit nepotibus. Strepitum non famam vocalem illi merentur; qui puerorum more, in Pactoli considentes arena, nummorum & metallorum tintinnabula movent; & licèt cum fabuloso Mida asininas possideant aures, nil tamen, quàm sui elusionem ijsdem audiunt ac percipiunt. Execrabilis non vocalis ille triumphorum in campo Mavortis sonitus, qui ut tantò vocalior audiatur, Patriam & Regna cum civibus inter incudem & malleum infortuniorum ponit, qui miserorum Colonorum clamore miscetur, confunditur. O Vilissimam vitrei Cæli gloriam, cujus fragmenta non sonum famæ vocaliorem excitarunt, sed eandem, suosq; Creatores lædere videbantur. Adeste ejusmodi sonitus ridendi, inter hodiernos fletus competitores, erubescitè inter squallidas umbras has commodiùs? Adesto homo volucris Icare, adesto? & qui extincto nomine tuo Icarias fecisti aquas, in lachrymas præsentis mæroris, itèrum cade; quæsivisti inter stridulas volucres, & levem æthera, levior illô sonum; flebilem sonitum ruinæ invenisti: hoc nisi felicior, quòd stultum desiderium, integrô adusq; restinguas mari. Adesto crudelis extra fabulam Romanæ Urbis Amphion Nero, adesto! & in luctu tanto, sileas cum tuæ sonitu citharæ: musica in luctu, si importuna narratio; certè vel maximè tua, ad cujus chordas non intestina ovium, sed Matris viscera extraxisti, ad cujus pulsum Romana mænia saltasse quidem visa, sed ad ruinam Civium, ad flebiliū commotionem

pulverum, ardenti Vulcano ex tuo voto desponsata. Sta & tu clara Principis Phæbi soboles? sta inquam; licèt quondam à cælesti axe pronâ cervice in terras cadens Phàëton, fateare precor, quinam à tuo lapsu, à confusi & contusi collisione corporis elicuit sonitus? si non ille, qui totum fragore Cælestium rotarum adimplens Orbem, te, tuamq; famam, æternùm silere fecit. Ita est AA. perijt multorum memoria cum sonitu perijt. Ille mihi vocalissimus sonitus; qui ex virtutis vocalibus resultat, qui ex suavi illarum venit charmonia. Ille egregius Cælosq; ipsos penetrans, qui à devoto Religiosæ portæ pulsu inauditur. Ille facillimè Divorum aures aurasq; subintrat, qui in canentium Ascetarum Choro, in Religioso silentio excitatur, elevatur. Ille minimè raucus, quem mortificationis plagarum & virgarum in corpore collisio, suo strepitu adaugere videtur. Ille subtilissimus ad tubam famæ spiritus, qui Ascetica jejuniorum fame extenuatur. Ille toto Orbe clarissimus, qui ab eruditorum calamorum organis, qui ab Apollinis Chely & Musarum Choro venire observatur, qui non in clamosis cornibus, sed in cornutis argumentorum dilemmatis exprimitur. Ille sonus optimus, quem muti Magistri Libri, loqui videntur, quem non Herculeæ, sed Typographicæ literarum edunt columnæ. Ille acceptatissimus, quem gentilitia arma variarum virtutum percussa motu, suis eliciunt possessoribus, quem non musicales, sed PETRI Claves, in laudes multorum ora reserando, attestantur. Audire ejusmodi sonum desideratis? gentilitiam Generalissimi Prædicatorum Præsidis Campanam,

do-

dolentibûs pulsate pectoribûs, vel pulsatam, benevolîs excipite auribûs. Materiam vocalis Campanæ inquiritis? non rudi metallo; sed aureîs honorum & dignitatum fusam insignibûs, alti sangvinis & virtutū expolitam splendoribûs, non ignorate. Quippe jam Fortuna magnæ illius domestica Prosapiæ, ditissima opum cumulabat cimelia, jam inæstimabiles Tagi & Pactoli aggregabat arenas, jam auri argentiq; pretiosas coacervabat glebas; ut ex tanto metallorum concursu; ex tàm nobili divitiarum materie, quàm subtilissimus Campanæ prodiret tinnitus. Iam & Honor tantæ fortunæ favit acervo, quidquid pretiosum possedit, eviscerare videbatur, titulorum pretia, dignitatum decora, insignia, addebat promptissimus. Mavors ipse etiam in CLOCHINIANA hæreditariùs Domo, galeas, clypeos, cuneos, enses, chalybeatos thoraces, bellicis attritas laboribus cassides, ampliandæ tàm vocalis Campanæ moli, non negavit; ut non tantùm subtilem fortunæ ederet sonitum; sed etiam raucô à bellicis tormentorū armis, resonaret murmure, & ex utroq; notabilis foret. Quid de fabrica Campanæ hujus per Lucinam impensa proferam? totam se tori Dea hæc fermè suîs exinanivit decoribûs; ut vocalem Campanæ huic inspirasset animam: altæ genesis in Galliarum Regno enodavit fascias, quas ejdem alligavit, appendit; ut commodiùs illarum agitatu toto Orbe sonaret. Majorum Illustrissimas applicuit Ceras; ut tantus materiei concursus citiùs in sonans resolveretur opus. Lineas Familiarum duxit, ut formosior & pulchrior formaretur, & nè suâ, cum cæteris careret nomenclaturâ, ma-

 gna

gna magnorum Heroum nomina, ſanguinis propinqui ligata nexu aſſociavit, ſicq; tàm vocale CLOCHINIANÆ Proſapiæ Inſigne, in altiſſimarum Domorũ ſublimitate appendit, vel potiùs, ut ſacratum non profanum crederetur, in Oppido Sancti SEVERI collocavit. Prodit in lucem publicam ſub tàm vocali Nobiliſſimæ Domus ſigno ANTONINUS, primum infantilis labij clamorem, ſub gentilitiæ Campanæ edit ſonitu, nobiles cunarum agitatus, ad motum reſonantis Inſignis abſolvit, dum ex Clochinianæ Domus Majoribus, non minor progeneratur Filius. Benè imò optimè, cunarum Numen Lucina proſpexit, quod tantæ expectationis ſobolem ANTONINUM in ea Domo locaverit, quæ gentilitia Campana, magniſq; operibûs ſatis clamoſa, vocalem novo Hoſpiti parabit famam, quæ ad primum vitæ ejuſdem diluculum, ſui ſtemmatis ſonitu, ſalutationem dicere omnes concitabit. Candidi Prædicatorum Ordinis Præſes futurus, non alibi, niſi inter lactea Galliarum Lilia naſci debuerat. Magnorum operum & meritorũ lacteus poſthac Pater, in tali herba ſpem monſtrare tenebatur. Seduliſſimus librorum ſcrutator & Doctor, inter nivea florum folia pullulare meruerat. Severus Regulæ DOMINICI Obſervator, nil niſi ſanctum in vita acturus, in hæreditario Sanctis fundo, in SEVERI Oppido cunas abſolvit; brevi Aquinaticæ Scholæ Diſcipulus, ab Aquitaniæ excipitur plaga. O felix terq; beatum ſolum! quod tantos Eccleſiæ & imperijs de tua gleba producis fructus! ô albò laudum calculò digna, florentiſſimæ Galliæ Lilia; inter quæ honorum & ſapientiæ felices naſcuntur Candidati. Deeſſent tibi tàm

am-

amplissimi fructuum census, certè vel ipso virorũ proventu, quos ad emolumentum Orbis totius profers, sat dives, sat opulentissima appareres. Varietate fontium & fluminum alijs præstantior nuncuparis, filiorum tamen ubertate & capitum doctorum affluentiâ, multò dignior ab omnibus dici promereris, quos cùm innumeros producis, etiam unum produxisse CLOCHE satis ad gloriam tibi adesse non ignores. Crescit ad immortalem famæ sonitum, inter domesticos Nobilium Parentum lares felicissimè, & veloces ætatis præterlabentis annos, virtutibûs antecedit, nihilq; puerile habere observatur, præter annos. Quippe non levia puerorum apprehendit tintinnabula, non paternæ famæ ad gentilitiam Campanam curat sonitum, ast vix infantilibûs corpus enodavit fascijs, illicò eruditis sese alligat fastis, nec tàm puerilem cum coætaneis excitat arenam; sed avidus Olympicos intendit pulveres, fermè ab ipso Matris ubere pendulus, viam lacteam virtutibus ad se fecit, omnium in lacte candidatus. Mirabatur natura; quòd tantùm in exiguo corpore posset, dum vidit: quomodo infans, necdum puериles fixè formabat gressus, & jam de virtute in virtutem solido passu procedebat, in aurora vitæ meridiem solatiorũ accendendo. Palmam necdũ benè explicabat, & jam herbam probitati porrigebat, primas tenerioris vitæ lineas, ipsîs virtutum punctîs distinguebat, Nobilissimi sangvinis Hæres, eundem pro se erubescere non patiebatur, suisq; non minor Majoribûs, intra domesticos parietes, publicô sole & Cælô digna peragebat facinora: viam viri in adolescentia, quam olim virorum Sapientissimus

igno-

ignoravit; ANTONINUS monſtravit. Sed nec diu accreſcens animi in ANTONINO capacitas domeſticîs laribûs capi potuerat, ex paternis liminibus, oſtia Religioſæ ingreſſus eſt vitæ, voluptuantium in mundo hæredum frangens legem, Regulam magni Patriarchæ DOMINICI ſuſcepit, omnibus ſeſe exuit opibus: à tanta privatione, ad habitum ſacratiorem regreſſum dari probavit, gentilitiam Campanam & ſe totum, Eccleſiæ, magnæ Prædicatorum Religioni alligando. Quærulatur mæſta ex tanto opere Familia, ipſa fortuna mundanas offerens delicias, ſe poſtpoſitam conqueritur. Ridet tantos fletus Novitius, non ignorans; quòd nunquam majora ſortietur dominia, quàm Dominicanæ Cultor Religionis, nunquam ſecurior & tutior apparebit, quàm ſub gentilitio Ordinis ampliſſimi vigilante Catulo. Alti ſangvinis quantùmvis deſeruero ſcaturigines Aquinaticos fontes domeſticos jam abhinc poſſidebo. Majorum quantumvis extinxero Ceras, Thomiſticus Phæbus ſerenos in Religioſis umbris mihi dies accendet. Ab illuſtri Parentum quantumvis diſparuero Familia, Luminoſam tot Patrum ingrediar Domum. Nihil metuo rugoſos Genitoris vultus, ſerenam Patriarchæ frontem ad ſidus demiſſum conſpiciens: fulmina irarum & vituperia poſtpono, ad laurus Doctorum collocatus, ubi inter Prædicatores laudibus prædicabor: utpote cùm Religioſiſſimæ Prædicatorum Authoritati ſubijci, eſt coram Cælo prædicari. Non deſunt Gentilitia Arma, non deeſt Avitæ Campanæ ſonitus, certè clarior apparebit, in Religioſo reſonans ſilentio, nunquam agilior, quàm

Reli-

Religionis adstrictus nexibus, quam dum in continuo motu virtutum permanebit. Minorennes anni, certè pietatis hujus non impediunt desideria, crebriùs utiq; Divorum aras, subtiliores violarum adornant flores, quàm proceræ Libani aut Cupressi; proximiores ad Altaria minutæ campanæ, grãdiores extra templorum locantur parietes. Associatus amplissimo Prædicatorum Ordini, ordinato agmine asceticas ad se provocavit virtutes, & Novitius Religionis Cultor factus, veteranam cunctis explicuit probitatem. Et dum alij mundanis olìm assveti delicijs, religiosam in primo limine mirantur vitam, ipse omnibus miraculo erat, Magistrîs vel ideò ind gebat; ut nimiam monasticæ vitæ austeritatem eundem dedocerent, non edocerent; quorum monita suîs præveniebat operibûs, jussa obedientissimè antecedebat excutione, vota coronabat virtutibûs, filius virtute senili patrisando. Dubium certè movit, nimirùm; an ille virtutibus innatus esset, an illi virtutes, utrumq; tamen ex asse probavit, inter omnes virtuosissimus. Vixq; primum Campanæ suæ edidit sonitum, illicò omnes in sui amorem concitavit, ad affectus concurrere fecit: cursum tamen affectuum & amorum, Scholastico scientiarum copulavit, nec in solis pectoribus recumbere, sed & in magnis Doctorum Capitibus fundari elegit. Coronavit ANTONINI vota Sapientissimus Doctorum Patrumq; Cætus, ubi eundẽ eruditæ studentiũ Coronæ associavit, floribus doctis, florem: aureis capitibus aurum addidit. Nullus tamen magis ad mentẽ THOMÆ vixisse & studuisse visus, Discipulum agente in Schola ANTONINO. Nullus subtiliora

explicabat argumentorum fila, quàm illiùs subtile ingenium, nullum præceptorum in artibus & scientijs extabat Caput; quod suo non caperet. Nulla Doctoris Angelici summa, cui ille pretiùm non adderet, nullus articulus, quem ille ad oculum explicando non indigitaret. Nulla chacteris & literarum linea, quam ille in suam eruditam frontem, nunquam tamen rugosus, non transferret. Nullum librorum folium, quod ille non carperet, suo Capiti in coronam: nulla litera, quam ille non componeret in syllabum encomiorum. Stupuit Tolossana Pallas, ubi vidit quòd non ex ipsius Jovis capite, ast & ex ANTONINI vertice iterum prodire posset, si cunas repetere vellet. Jmò ne tanti sudoris semina, præmiorum carerent messe, laurus in coronamentum emerito in schola Cultori excoluit, gemmas sudoris doctoralibus Coronis applicavit: ijsdem tempora cingendo, cùm Discipulum suum, præfecit Magistrum, Gallicano Orbi, Doctorem publicum promulgavit. Optimam propositionem formasti Thomistica cum tuis Doctoribus Schola; quod præmia danda tanto Capiti concluseris, forte argumentum & à nemine retorquendum posuisti, cum ex tot scholasticorum meritorum præmissis, Operario lauream in coronamentum intuleris. Discipulus adusq; ANTONINUS, si Magistrum agebat; certè nunc Magistrum formalem agens; ipsam scientiam Discipulam sui efficiet. Inter studentium classes appensa Ejusdem Campana ad stuporem si resonabat, nunc ad sublimitatem Professoralis Cathedræ evecta, clarior & sonantior ab omnibus andietur, imò sonus ipsius, crede, quòd abhinc in philoso-

phi-

phicarum vocum definitionem & genus abibit, omnibus ad placitum erit. Non timebit abhinc adversantia fulmina, sub tanta lauru securus. Doctorali annulo eundem adornasti, hoc ipso tibi Sapientiàm desponsabit, quanquam eam semper domesticam habeas. Nigricante eruditorum Capitum eundem dignata es mitrâ, sub hac ille Sapientiæ & Religionis Tuæ primarium aget Principem. Librum eidem in insigne obtulisti, certè Doctor hic, libri hujus marginibûs Thomistica tenebit flumina, ne Zoilorum & adversantium acuminibûs fodiantur; procurabit; ut libri hujus folia, in millena excrescant volumina, totasq; Religionis tuæ adimpleant Bibliotecas. Sanè eruditìs Doctorum jam nunc instructus pennìs, Aquilam aget, pectoralem Aquinatis Phæbum, ultra omnes, ingeniosissima mentis scrutabitur acie. Scrutatus optimè, imò adeò Phæbi hujus incaluit radiô, ut totus Apostolici zeli ardore inflammaretur, & ad Cleanteas in umbris scholasticis Ceras, non cereus in vitium flecti, in flumina prædicationis liquesceret. Attollite aures AA. jam felici motu, è sublimi Doctorum Cathedra, sublimiùs in Sacras exedras, cum sua gentilitia Campana ANTONINUS attollitur: *Clarior quò altior.* Placet ejusmodi motus eruditissime Doctor. Quippe nullus solidior ad Ecclesiæ Cathedras gradus, quàm ex scholasticis liminibus. Optimè certè illô ex templo peccatores propulsantur fune, qui ex fortissimis argumentorum nectitur filis, non frustranea animarum piscatio, cùm ex ijsdem retia in lachrymarum pænitentium fontes protenduntur. Vocalis illa Campana; quæ Thomisticæ doctrinæ

 pri-

primò pulſata articulîs pôſt ad ſaxa obdurati pe-
ctoris reſonare videtur. Plauſibilis ille Eccleſia-
ſtes & Præco, qui in cathedra Doctorum ſuis non
caruit præconijs. Sub lauru Doctorali in vitia de-
tonabis, nullius Herodis time fulmina. Imò nul-
libi Evangelica Veritas clarior apparebit; quàm ad
tuæ mentis ſplendorem, nunquam tutior, quàm
ſubtilitatis tuæ ſtipata acuminibûs, & ſi odium pa-
rere videtur, tuorum ſenſuum melleâ aptata ſvavi-
tate omnibus ad guſtum aderit placidiſſima. Et
hîc tacebo ego minus vocalis Orator: loquere tu
& teſtare Apoſtolum, in illo tempore tuum, felix
eôdem Aquitania. Fatere inquam! quis CLO-
CHINIANÆ Campanæ in ſacris exedris ſonitus?
Ab aquis ejuſmodi ſortita es ethymum, nunquam
tamen abundantior viſa, quàm à Prædicatoris hujus
fontibus, in Aſcitana Cadurcenſi, Petrocorienſi,
Aginnenſi, Burdigalenſi, alijſq; innumeris Provincijs
& Urbibus perſonantis. Porrò ad tanti Præconis
verba, nullus peccator dolenti pectori non appli-
cavit verbera, ad detonantia altorum ſenſuum ful-
gura, nullius lachrymîs non pluebat pupilla, ad fi-
gurarum lumina, nemo in bonum non accendi
videbatur. Geſtu dictiſq; docebat, geſtis piiſſimæ
vitæ, ſuîſq; exemplîs probabat, quidquid optimum
dixit, id totum in ſe remonſtrare poterat; virtu-
tem, quàm alijs commendabat, ipſe primus ſerva-
bat, vitium quodcunq; execratus, ſolus ignora-
bat, fugiendo. Nullum ſacri ſermonis exordium
hic Eccleſiaſtes formavit, quod ex fontibus la-
chrymarũ non duceretur. Nullum exordij thema,
quod peccatis & ſceleribus terminalem epilogum
non imponeret, nullum punctum, quod punctu-
ram

ram, etiam obstinatis non inferret pectoribus. Nulla illius periodus, quæ rotunditatem æternitatis non saperet; nullum subtilis ingenij acumen, quod funes peccatorum non solveret; nullus probandi locus, quem à Cælesti domicilio non assumeret. Svavitate verborum Tullius, floriditate di-dicendi Hortensius, gravitate sensuum Pericles, zelô & styli facilitate Apostolus. Sed ad aliam tandem ejusmodi Tullius vocatus provinciam, pro domo Christi, & Religionis perorans, etiam in domo præesse & prodesse coactus. Quippe ab exedrarum sphæra, à templorum suggestu, in altiorem locũ, vocalis ANTONINI Campana translata; dum Provinciæ Occitanæ, concordi votorum suffragio dignissimus Præses creatur. Jamq; qui benè vivendi leges audienti populo persvadebat; mox tandem imperabat; ijsdem felicissimè primus parendo. Atlanteîs lacertîs onerosam prædicationis deponens Provinciam, honorariam assumpsit: nè utiq; & hanc suo onere carentem. Quippè non ipsæ Purpuræ rubore suos afficiunt gestatores, non ipse aureus coronarum fulgor Regum capita suo adurit radiô, non ipsi fasces suos infascinare videntur possessores, non ipsæ honorariæ dignitatum cruces, proprios martyrisant cruciferos. Habet & crassior lana suas dentatas tineas, etiam fortes sacrorum Cætuum Atlantes imposita lacertis aggravat provincia; imò nulla Ascetarum Regula, suis Præsidibus sine exceptione adest, quam illis ingentes curæ & molestiæ inferunt. Præesse videntur alijs, sed majoribus subsunt pro bono communi, cogitationibus; dominari agnoscuntur, sed dominando; sibi subditis in-

serviunt, ipsô Imperij sui Clavô difficultates sibi aperiri experiuntur, nec tàm manus suas eodem ornant, quàm onerant. Infractô animô cuncta hæc pertulit ANTONINUS. Sic Provinciam Occitanam Atlas gessit; ut majori ferendæ suppar monstraretur. Ad pulsum præsidentis sibi Campanæ, nemo non incitabatur ad virtutem, prodromante ipso Compulsore. Nunquam Occitana Provincia occasum felicitatis passa, quoties imperij sui ANTONINUS explicabat ortum. Improbos, duros, molestos in tanto munere obiens labores, summâ inter omnes probitate eminebat, cunctis flexibilis, nemini molestus, omnibus amandus. Visitabat Conventus vigilantissimus Præses, non sine plausu, non absq; comitatu virtutum; quidquid locutus, in oraculum abibat, & quòcunq; divertit, tripodem secum ferebat, nihilq; non admiratione, non æstimatione dignum peragendo. Exemplis aliorum non egebat, quibus virtutes svaderet, cùm in se omnia felix possessor teneret. Sic tamen primarium Patrem egit, ut infimum non exueret, eò demissior, quò sublimior, vel hac operum anthitesi laudatissimus. Tendendum tamen in Latium meritissime Provinciæ Occitanæ Præses, à niveis Galliarum Lilijs, ad florentissimam migrandum est Italiam, vites utiq; transplantatione meliùs proficere nosti. Nihil justiùs, quàm ut sublimitas mentis tuæ intra septicollis Urbis altitudinem emineat, quàm ut dotum tuarum pretium, non ad Lydium lapidem, sed ad Petram PETRI probetur, demonstretur. Adimplesti tot Galliarum Provincias, Urbes vocalis Campanæ Tuæ sonitu, etiam ad Petram resonet necessum. Ad claves Ecclesiæ pro-

ximè locatus, altiores honoris ædes Tibi reserabis, omniũ patentia corda experieris. Ad primum gentilitiæ Campanæ pulsum, primos convocabis affectus, amoris erga Te excitabis humanitatem, amicorum agnosces concursum. Caput Urbium Roma crede tuo posthac indigebit sensu, purpurata Cardinalium Sphæra, Te suam in consilijs habebit intelligentiam. Stetit Romæ ANTONINUS CLOCHE, stetit omniũ plausu & affectu exceptus, omni exceptione Vir major: doctissimi animi rariores explicans dotes, ad mentẽ summis protunc totius Prædicatorum Ordinis Præsidibus successit: dũ à Reverendissimo Patre Magistro Generali JOANNE THOMA de ROCABERTI: mox tandẽ ab ANTONIO de MONROY MEXICANO in Socium & Secretarium assumptus extitit. Credite AA. nunquã gratiosior visus JOANNES, quàm ubi in suam gratiam ANTONINUM CLOCHE adscivit. Vocem clamantem se tunc vel maximè probavit, cum ad sonum vocalis Campanæ jura & leges Religioni dicebat, cùm per socium CLOCHE loqueretur. Nunquam magîs abyssum se THOMAS Generalis monstravit, quàm penes profunditatem sensuum ANTONINI. Alter ANTONIUS pulchram Nominis sui etiam ratus paronomasiam, cum eidem ANTONINO CLOCHE sociaretur. Verum se Inventorem supponere debuit, cùm tantum Secretarium adinvenit. Jmò miraculosus ANTONIUS dici potuerat, cùm tantũ ingeniorum prodigium penes se conservaret. Compendiosiùs dicam: optimè Præsides hi amplissimæ suæ prospiciebant Religioni, cùm illorum ocellum CLOCHE agere videbatur. Mellea

Imperij sui experti sunt sceptra, cùm illa, svavitate sua ANTONINUS adaptabat. Nullum tanti honoris senserunt onus, cùm tantum Atlantem adjutorem habuerunt. Aurea sanè numerabant momenta, felices vivebant horas, dum easdem CLOCHINIANA pulsabat Campana. Honor nonnisi ipse Generalissimus indignari credebatur, quòd CLOCHE socium & assistentem, non suũ Possessorem habuerit, quem pridem habere ex optabat. Jtaq; sui feliciter gubernantes Præsides, ad Archipræsuleas promovit Infulas, ut tàm emeritissimo suam cederent sedem, & quem socium habuerunt laboris, etiam successorem honoris viderent. Sicq; dùm illi Archipræsuleam apprehenderunt Crucem, ANTONINUS Religiosum Clavũ assumpsit, cùm illi purpurato eminuerunt in ostro, ille album calculũ, ad primatialem Prædicatorum Ordinis honorem, obtinuit. Favit magnæ illius virtuti innocentia, dùm concordibus electum votis JNNOCENTIUS XI. approbavit, summum Religiosi Honoris ascendenti verticem, benedictionis Sanctissimæ Crucem apposuit, ut sub eadem non caderet, sed iret celerior, imperaret felicior. Optimè consuluisse tibi videris, sine cerussa loquor, Candidissime Prædicatorum Ordo; quòd Atlanti tanto universum Religionis imposueris Orbem. A capite si prima venit valetudo, certè sub hoc plurimùm toto Orbe valebis æstimatissima, sub lacteo Patre hôc, nihil amarum experieris. Porrò regulariter Tui Instituti sonabunt leges, dum tuam Generalissimam aget Regulam, omnes Tibi subicientur successuum species, sub tanto Prædicatorum Genere Vniversali. Procul omnium adver-

versitatum à Te propulsabuntur nubila, condensatæ malignantis temporis fugient nubes, resonante magni tui Generalis Campanâ, nec ad crepitantis famæ tubam, quam ad istius Campanæ sonitum, gentilitius tuus Catulus, crede tibi abhinc venabitur fortunam. Securè ad tædiferum Syrium hunc quiescere & vacare poteris; dum pro Te ejusmodi vigilabit Antipater. Revereri mala ne minima poteris, tantum nacta Reverendissimum. AQUINATICUS Phæbus nunquam ardentior apricabit, quàm in signo Aviti ejusdem considens Leonis. Exuberabunt uberiùs Thomistica flumina; cùm tantum fontem coronasti, qui in tua commoda diffluet liberalissimus. Ita est AA. possedit, Religiosum Generalissimus Præses thronum, illicò omnium corda & animos occupavit, in quo feliciter imperans, tunc optimam quietem suam supponebat, cum pro bono publico intensissimè laboraret, talemq; se Principi Romæ, Præses hic demonstravit, ut ad dicentis sensus vel ipsis excitati pulveribus Tullij: aut consumati Catones, suum suspenderent supercilium. Enodandi, erant magni difficultatũ nexus, enodavit Doctissimus Prædicatorum Generalis; resolvenda erant occurrentium perplexitatum dubia, resolvit facillimè ANTONINUS; porrigenda erant salubria in arduis consilia, porrexit ad omnium stuporem ANTONINUS; quoties publicè argumentorum explicuit fila, toties jisdem omnes in triumphum duxit, nec unum ex difficultatũ Labyrintho eduxit Theseum. Porrò nullum vitæ ejus momentum, quod monumentum non mereatur; nulla diei aurora, quæ auream horam non diceret; nulla dies, sinè

linea virtutis, probitatis; nullus crescentis Lunæ mensis, qui plenitudinem non augeret meritorũ; nullus annorum circulus; qui æternitati inserendus non esset. Totas in continuùm vigilantissimus consumebat noctes, ut alter ad flammantem DOMINICI facem Cleanthes diceretur, imò cùm nonnisi ipsa immortalia perageret facinora, ne mortis quidem fratrem somnum admittere elegit. Verè animata Prædicatorum Sapientia Pater hic, nunquàm in molli lecto jacere videbatur. Inter librorum folia curiosissimus scrutator, gentilitiô DOMINICI Catulô verborum lepores, prædam summæ perfectionis venabatur, quam toties humanissimus non sine sale, majestuosissimus non sine gravitate exponebat. Sicq; cùm omnes se ipsô satiaret, ipse Cælestibûs cogitationibûs plenus famelicam abstemius ducebat vitam; oleô Capitis eruditissimi contentus, carnibus vesci toto fermè regiminis summi tempore abhorrebat; ut tantò levior Doctoralibûs instructus calamîs, ad sydera Cæli tolleretur, quæ sublimi mente tangebat, continuus cælestis Objecti speculator. Sapientissimo multarum Congregationum consessui quoties adfuit, toties omnium plausus & animos in sui admirationem congregavit; tripodemq; consiliorum movit, ne Delphîs quereretur, cùm Romæ in illo lateret. Nemo Congregationis floridiorem reddebat coronam, quàm dum ille verborum rosas loqueretur, nemo congressum numerosiorem; quã ille suâ copiâ rationum. Stupuit toties Purpurata Cardinalium Rota, ad facundi oris ipsius rotunditatem, velocioresq; volvebat sensus, ad oleũ tàm eruditi Capitis, jam ex se triumphales arcus victori

 paran-

parando, jam omnem laborem impendendo, ut CLOCHE ad altissima quæq; eveheretur. Imò sub Cardinalitio Galero purpurati sui honoris ardens splendoribûs, eô vel maximè æstuabat desideriô; ut aspernans honores meritissimi Generalis modestia, in pænam Cardinalitiæ implicaretur Rotæ, ut Religiosa eidem congenita humilitas, in summo videretur fastigio, ut rarior tanti Viri Majestas, inter Eminentissimos appareret, ut venerandus animi candor, sub Cardinalitium Galerum quantociùs abiret, nec inter umbras ampliùs delitesceret, latendo: ut vocalis ejusdem Campana, in cardinibus tantis moveretur, & eò vocaliorem Christiano Orbi ederet sonum. Mereri tamen non habere honorem contentus Prædicatorum Generalis, sicq; dùm honores effugeret, in amicorum pectora & amores incidit, quorum scintillas ad sepulchrale saxum, imbellis calami acumine elicere nolo, utpote cùm amori huic, ut alatus appareat, nulla Oratoris sufficere potest penna. Vnicum nonnisi explico amicitiæ vinculum, quô alligatus extiterat, Eminentissimo CARDINALI CASSANATA omnium pectoribûs dignus Generalis. Nimirùm amabat ardens in purpura sinceritas, nitentem in Religioso habitu candorem, Religiosis ad strictum vinculis, majori amoris nexu stringebat, vultis scire, quo intensionis gradu? sic eum dilexit, ut seipsum & omnia dare non negaverit. Bibliotehcam Conventus de MINERVA Ordinis Prædicatorum aliquot librorum millibus augendo, sex Theologorum Professorum ad enodandos fidei sensus, ad promovendam Doctoris Angelici doctrinam, novam fundationem liberalissime eri-

gendo. O raram amicorum pectorum unitatem! quæ tot beneficiorum millia Ordini Sacratissimo multiplicavit. O inæstimabile amoris pretium! quod eruditam Angelico Doctori adauxit summã. O non fictum & extra fabulam pectorum cupidinem! qui non nudum se, sed cùm tanto beneficiorum apparatu, Dominicanæ præsentavit Religioni. O amoris ignes! qui ardentem Dominici facem, majori lumine illustratis. O effusa sociorum pectora! à quibus tanta gratiarum exundavit affluentia. O animi virorum consonantes! ô amici vocales! ex quibus eruditæ Prædicatorum Minervæ, tanta librorum composita moles, ex quibus non syllabæ tantùm, sed millenus voluminum coaluit syllabus. O virorem affectuum! ex quo tot creverunt, scholæ Thomisticæ folia. O nimis vocalem ANTONINI Campanam, ad cujus sonitum tot muti & mortui in Bibliotheca surrexerunt & steterunt Magistri. Verùm tantùmne huic Purpurato pectori ANTONINUS adhæsit? minimè, etiam ad mentem & sensum summorum in Ecclesia Capitum extiterat. ALEXANDRO Sanctissimo fidelissimum Ephestionem agebat, ejus nominis IX. Pontifici, ille inter alios innumeros, Vir ut octo habebatur, quem etiam vivæ vocis oraculô. *Dextrum Ecclesiæ Brachium* apellavit. Dextrè, imò dexterrimè ALEXANDER Sanctissime; quis, qualis, quantusve ANTONINUS fuerit, resolvisti dubiũ; dùm eundem tantô laudis intitulasti epithetô. Lateranensi Templo FRANCISCUS quondam supposuit lacertos, certè & Atlas hic, Universalis Ecclesiæ brachium aget, totumq; fidei sustentabit Olympum. Non unam brachium hoc, pro Te

para-

paratus bajulare Crucem, ut Fides salva & integra ab Hæreticorum insultibus permaneat. Sustulit Trojanus Æneas adustô lacertô ex ardentibus titionibus Patrem: Brachium hoc, æmulô exemplô ex voracibus Hæreseos flammis, efferet Ecclesiam Matrem. Nimirùm irrepserat quondam virtutis specie, palliatum monstrum latens angvis in herba, exitialis sub cinere scintilla Molinistarum error, qui magnam fidei moliebatur jacturam, & Quietistarum simul indutus cognomine, totam jam inquietare cæperat Romam. Quid ad hæc vigilantissimus Prædicatorum cùm suo Ordine Generalis? tantisper non quievit, donec Turbatores Ecclesiæ quiescerent, donec molienti ruinam huic Turbini, rapacissimæ contra Ovile Christi profunditate sensuum foveam pararet, in quam persequente gentilitiô Religionis suæ Catulô, incidere debuerat: donec tàm crassam errorum nubem, avitâ fugaret Campanâ, ne PETRI Naviculæ aliquod subsequeretur naufragium; donec tanto sceleri ad funus pulsaret. Sed non ad funera tantùm Hæreseos, istius Campanæ pulsus; etiam dignitarios multis excitavit titulos, etiam ad ædem honoris non uni resonavit. Imò ne suìs Antecessoribûs minor appareret, Ordinem suum sat Archipræsuleis Infulis maximum, majorem fecit, Dominicanorum Candorem Cardinalitiâ in Patre Fratre THOMA FERRAN (alios sileo) rubescere purpurâ vidit, quâ solus depingi non curavit, candore notabilis ipso: satis honoris, satis gloriæ ratus, dùm minores se, honoribûs maximîs pares haberet, dùm potestati Generalissimæ suæ subjectos, primîs fermè titulîs turgescere adverteret. Illud maximum Capi-

pitis sui decus supponebat, non gemmeis Infulis, ast salsi sudoris unionibûs frontem exornare; mille molestiarum & curarum pro bono publico tolerare onera, plùs quàm Archipræsuleam crucem autumabat; ad librorũ folia ardenti excandescere animo, suam purpuram arbitratus, & alios honoribûs coronari videns, suum Coronamentum esse censuit. Pro Sanctorum deniq; gloria, quantum pientissimus laboraverit, vel ipsæ gratiæ, ut ora fingant necessum. Totam ille exviscerabat fortunam; ut sat in terris felix Beatitudo Cælicolarum, sanctitatis titulô felicior redderetur. Omnem Credite movit lapidem, ut Sanctorum Aræ eò solidiori gloriæ inniterentur fundamento. Nobilem felicitatis suæ supponens portionem; si Sanctorum fastis, quàm plurimi Religionis suæ cultores adnotarentur. Tunc fore sacram Domus suæ gentilitiæ Campanam, si ad honorem Sanctorum sonaret, audireturq; vocalissima. Non vanô utiq; ardentis pectoris desideriô: nam ad sonitum Campanæ hujus, extra practicatum Ecclesijs morem, plùs quàm ter Sanctus Ordini sacro decantatum, ubi quippe Beatorum animæ, summi Ecclesiæ Capitis oraculô, justissimum Sanctitatis & gloriæ epithetum audivere: Cognominari eosdem expectatis? JOANNA Regis Portugaliæ Filia, OSANNA de Mantua; AUGUSTINUS de Lucera Episcopus, CESLAUS HYACINTHI Frater, PIUS V. Pontifex, omnes Prædicatorum Ordinis & Regulæ Cultores. O felix veriq; Sanctum Præsidis hujus Caput, quòd pro Sanctis laborare & cogitare novit. O disertum tanti Patris labiũ, quòd etiam pro Divis orare & perorare non

igno-

ignoravit. O pretiosas desudantis frontis gemmas, quæ in Coronamentum Beatorum stillavere. O liliatum Patris senium, quod in album Sanctorum tot Beatis refloruit. Satis, satis Virgineô JOANNA eminuit flore; nunquàm tamen pulchriùs effloruit, quàm sub nivibus senescentis Prædicatorum Capitis. Regios vel ab ipsis cunis possedit titulos, nunquàm tamen majores obtinere potuit, quàm eosdem sibi Generalissimo Patre procurante. Satis clamosa miraculis inclaruit OSANNA, tunc tamen in excelsis audiri meruit, ad sui nominis inter Sanctos elevationem; CLOCHINIANA Campana ad summi Pastoris gratiam pulsante. Tunc AUGUSTINUS augustior adesse observatus, cum laborum angustias pro ipsius gloria ANTONINUS impendit, & Sanctitatis Phæbum non alibi ortum fuisse expertus, quàm ex vigiliarum umbris Generalis. Ipse HYACINTHUS Atlanteos & adamantinos Viri istius labores approbavit, dùm Fratrem suum sic ab eo elatum salutavit. Ex sacris bustis admirabundus, caput attollit, dùm CESLAUS Frater canonisatus venijt. PIUS V. nullius pietatem magis erga se expertus, quàm dùm CLOCHE eundem sanctificari effecit, dùm hanc quintam vel potius summam pietatis essentiam inter Sanctos existere procuravit. Sed eheu quàm breves sunt vitæ humanæ deliciæ! quid erit securũ! si & Sanctis stare diutiùs negatum. Sanè magnis magna esse, sæpè nocivũ est. Incubuit graviùs Cælum Atlanti, quia altus: feriunt fulmina montes, quia summi; colludentes puero Macedoni Aquilæ, panem de manibus eripiunt; quia Magnus. Generalissimus totius Ordinis Prædicatorum Præ-

 ses

ſes, dùm ad ſepticollem Vrbium Romam, ſublimis ingenij eminet acumine, fatorum fulmen experitur, dùm pro bono Eccleſiæ, Religionis ſolicitus labores impendit; etiam morbo laborare cogitur. Ardens zelo & Religionis fervore Ætna, febricitantibûs incaleſcit flammîs. Quid agitis ô fatua Parcarum fata! Lacteus Candidi Ordinis Pater hic, veſtram ſatiare & lactare non debet orexim, ad albicantes emeritiſſimi Capitis tanti nives, vos ardere non debetis, nec illud veſtro albeſcere pallore meretur. Zelantiſſimus Sanctorum Promotor, cùm multos inſcribi faſtis procuraverit, veſtro profanari tactu non debet, proſcribi è vivis non tenetur. *Dextrum Eccleſiæ brachium eſt*, onus mortis, quod omnibus imponitis tolerare eundem abſit. Fidei aureus defenſor, veſtra chalybeata falce offendi non debet. Difficultatum ad Orbis ſtuporem reſolutorem, ligari vinculis veſtris, anathema ſit. Clavium PETRI tantus Cultor, lumina non claudat. Purpuratæ Cardinalium Rotæ, intelligentia Motrix rotatam fortunam, non veſtrorum oſſium meretur ſortilegia, & triſtes aleas. Urgent tamen audentiùs fata, vocali famâ ſonantem Campanam, ſepulchrali ſaxô pulſare & excipere attentant. Non ægrô animô, quantumvis totô debiliſſimus corpore, tantam fatorum importunitatem ſuſtinet ANTONINUS, dumq; fatis ſuam pulſare Campanam præſentit, ad preces tremulo genu lachrymabundus flectit. In viam æternitatis abiturus, Viam & Veritatem CHRISTUM ſub nube panis latentem inquirit, & ne in curſu deficiat, Cæleſti Cibô ſatiatur. Concurrunt undiq; plorantia magnorum Patrum agmina, veniunt amantûm

Ho-

Hospitum sine numero cætus, hi membra dolentia tangunt, illi vultus mutatos deflent, hi morbi originem inquirunt, illi annos meritis plenos numerant, de suis, ut vivat daturi, alij in fata implacabilia conqueruntur, alij mæstũ exhilarare satagunt, nisi ultrò ab oculis madentes lachrymæ fictitia solatia indicarent, hi vitam prolixiorem appromittunt, illi angulos gemitibus replent, hi gemunt, illi suspirant, hi lachrymantur, omnes sua fata incusant, quòd citiori potiùs ad eosdem non properarunt gradu; ut ad tantum tardassent Præsidem. Minimè ad tantam Amicorum scænam, ad tantùm dolorum strepitum mutatur ANTONINUS, ultimum vitæ meditatur epilogum, ridet flebilia fata, ex tantis amantium lachrymarum fontibus, exhortationis suæ ducit exordium. Jam membris frigentibus, jam congelato per venas sangvine, ardentes ab ore & pectore dicit flammas, inter spinas mortis, rosas effundit, hyemante vitâ, Apostolico vernat ipse marcidus sermone. In duro reclinans lectulo, ceu de Cathedra Theologicas explicat & profitetur Virtutes. Morti jam proximus, vitæ Sanctissimæ Filijs suis promulgat leges; lachrymîs ipsîs vitam extingvere parat, dolenti pro peccatis pectore, quæ committere nunquàm visus, ultimam horam vel potius ultimum minutum exprimit, dùm, inter amplexus omnium & suspiria, exspirat. Dolet Orbis & Urbium Caput Roma, quòd suum abscissum sentit Brachium; pallet Purpurata Cardinalium Rota, & summis doloribus agitatur, quòd suam Intelligentiam amiserit. Scinditur dolore Vaticana Petra, dùm funeream CLOCHINIANÆ Campanæ excipit Echo-

nem & ſonitum. Gemit populus, turbatur tota Civitas, quòd tantum perdiderit Civem. Religioſiſſimus Patrum Ordo, ſuo parentat Parenti, tædifer DOMINICI Catulus, ad fata & funus ſui Præſidis, cùm ſua funali eclypſatur. Sol obſcuratur Thomiſticus, nubemq; doloris induit, forſitan & Stellæ caſuræ, ni ad eas ſydereus Pater properaſſet. Sed procul lachrymæ, gemitus, & ſuſpiria. A. A. Sanctiùs Magnus Prædicatorum Præſes, vivere cùm jam non poſſet, vivere, deſijt: & Generalis Magiſter, ut benè alios mori doceret, quos benè vivere docuerat. Non ut frāgerent CLOCHINIANAM Campanam, fata eandem pulſarunt; ſed ut ejuſdem Poſeſſor integras noctes inſomnis ducens, tandem à laboribus quieſceret, & ad ſilentij expreſſum pulſum in Domino obdormiret. Pulſavit inquam Libitina Campanam, ut ſonus gloriæ & immortalis famæ in omnem terram tanti Viri exiret. Pridem in Cardinalitia Rota Patrem hunc eminere dignum conſpiciens, æternitatis ſphæræ eundem implicuit. Liliatum emeritiſſimi Generalis ſenium, ne inter hyemantes Februarij ferias marceſceret, Cæleſti Paradiſo implantavit. Totam vitam in Jejunio & auſtera fame ANTONINUS cùm duceret, ad Cæleſtes dapes in ſacra Quadrageſima cùm illo diſpenſatum. Plurimos Sanctos cùm faſtis inſcribi procuraret, ad eoſdem in Libro Vitæ videndos properavit: & terras ſuæ famæ ſonitu adimplens; etiam, Cælos implere debuerat. Jta eſt A A. jam ipſis Cælorum cardinibus CLOCHINIANA appenſa Campana, jam æternùm ſonat & ſonabit. Tibi tamen primas exprimit obligato corde gratias, ô Princeps Urbiū

&

& Orbis Caput Roma, clausit jam ANTONINUS cùm sua vita lumina; Tibi ut omnes felicitates & fortunæ ad claves PETRI pateant, Divinam pulsabit Majestatem. Quotquot beneficiorũ à Te expertus est fontes, hos inter dolentes Clientum fundit lachrymas, precando: ut Navis PETRI, nunquam inter adversitatum fluctuet procellas. Altiùs jam Tuo septicolli sese extulit Olympo, è nubibus tamen mæroris istius, quas inter fata ipsius suspendisti, aureos in Te à Cælis jaculari imbres exoptabit. Exprimit & Vobis Campana vocalis hæc suæ gratitudinis pulsum, Reges & Principes, quibus toties consiliorum sensus expressit; vobis suos affectus explicat, quorum arduas difficultates toties composuit, cùm voto: ut ex Cupressis illius, Regia Vestra in immensum crescant & augeantur poma, ut à fatalibus illius pulveribus, nulla Purpuris Vestris adversitatum tinea veniat. Tibi tandem Paternum elicit Tuus Pater affectum, magne Prædicatorum Ordo, imò Generalis Magister magis terq; vocaliores, Tuæ filiali propensioni sonante Campana exprimit pulsus, & dùm illi ex ipsis pectoribus debitos erigis Colossos, hîs ille *plùs ultra* adscribit, ut quàm plurimîs & maximis implearis Capitibûs, ut ex sepulchralibus illius cineribus, Phænices in Filijs Patres nascantur, ut ex his, quos elicis ad funebralem pompam scintillis, Soles candidi Tibi exoriantur, ex lachrymis solatia fluant. Vestrûm deniq; AA. Mæstissimi corda petit, Campanæ istius sonitus; quorum aures & animos occupavit, quotquot eidem doloris impressistis ictus, tot illa pulsus ad Cælos pro

Vestris successibus explicabit, vestris suspirijs mota, Superos movebit, ut ad quævis vota attentiores vobis reddantur, efficietq; ut dùm illius vitæ filâ, acutô trium sororum abscinduntur telô, vobis Purpuræ honorum nectantur ut funereîs pompæ istius cerîs, diuturnæ vitæ vobis consignentur privilegia, ut in turbido dolentium lachrymarum feliciora piscari possitis. Brevius loquar: hoc ANTONINI Campana sonabit; ut vos nonnisi felicia cuncta audiatis. Quæ dùm suo sonitu meam confundit facundiam, silere facit, sileo qui

DIXI.

